

Nam quod Crollius, Salis Armoniaci percussio-
nis istius causam existimat esse, nihilo fit do-
ctior, & ad idem, hoc ignorantiae nostrae, asylum,
proripere sese cogitur, siquidē quis porrò quærat,
undenam eam proprietatem Sal Armoniacus
habeat? Sed & ipsa ratio Crollii, utut speciosa
appareat, penitiùs tamen inspecta, videbitur pror-
sus imaginaria. Nam quare magis cōtrarietas tar-
tari cum Sale Armoniaco, quàm ejusdē cū spiritu,
vel vitrioli, vel nitri, quo utroque Aquafortis
componitur, repugnantia causetur percussione?
Aequè enim vel nitri vel vitr. spiritus, æquè Aque
fortis, atq; salis Armoniaci adversatur tartaro.

Quin imò omnibus solventibus acidis. & cor-
rosivis, hostiliter inimicum esse, experietur, quis-
quis in metallorum, gemmarum, Coralliorum,
concharum, congenerumque corporum, solutio-
nibus & præcipitationibus, aliquantulum fuerit
versatus. Quid? Quod ipsa solventia corrosiva,
quotquot sunt, per se cū sale tartari liquefacta, cō-
fusa, manifestissimè conspiciatur, hostili confe-
stim pugna, ab utraque parte inter se congregi?

Itaque non valet primò, quod supponit Crol-
lius, ex mutua pugna tartari cum sale Armonia-
co cadere Aurum. Nam quid quæso idem aurum
præcipitet in solo nitri spiritu, modo supra indi-
cato solutum? Nullum ibi est Sal Armoniacum,
& tamen præcipitatio ipsius sensibus obvia.
Quid præcipitat Lunam solutam in aquaforti, in
qua ne vel hilum quidem est Salis Armoniaci, vel
esse per naturam potest, Siquidem argentum sol-
vere debeat? Sed demus verum esse, quod vult
Crollius, nihil eo aliud cōfecerit, quàm hoc quod

A 5 videli.